

Cap.3. *Vocis affectiones.*

**F**uerunt communes thematis affectiones; species sequuntur, secundum quas thema est solitarium, vel aggregatum seu socium.

Thema solitarium est, quod unius est naturæ.

Estque vel verbale, vel reale.

Thema verbale est vox ex instituto rem aliquam significans ad tractandum proposita.

Ad hoc præceptum duo queruntur. 1. An omnis vox significet ex instituto? 2. An tractatio vocum sit Logica? Respon. ad. 1. Vox est inarticulata, vel articulata. Inarticulata est signum planè φυσικόν, ut boatus, grunnitus: est inquam signum per naturam signans affectum animalis, quatenus est animal; excepto risu, qui signat affectum hominis, non quatenus est animal, sed quatenus est tale animal, hoc est rationale. Atq; hæc vox inarticulata non potest scribi. Vox articulata est signum planè θετικόν, seu ex instituto, si formale ipsius attendas, quod est significatio. Materiale enim si speces, videlicet sonum, & literarum combinationem; ratione illius dicenda erit naturalis, sed ratione istius ex instituto. Rectè itaque vox articulata dicitur significare ex instituto: quia à potiori debet fieri denominatio. Jam verò forma est potior materiâ. Taceo quòd altera pars materiæ etiam sit ex instituto. Hinc rectè dicimus, omnem vocem esse impositionis, vel primæ, vel secundæ; itemq; vocum impositionem esse vel λόγο τύχης, vel λόγο τέχνης. Neque est quòd objicias vel vocabula παροιμίαι, ut vocant, qualia sunt halare, hinire; vel interjectiones. Nec enim statim naturale est, quod rei naturam nobis declarat; sed illud naturale est, quod per naturam designat ipsam naturam. Non hîc moror ea, quæ solent afferri de lingua Hebræa, quòd illa sit naturalis; item de lingua Phrygum apud Herodotum, vel de lingua brutorum apud Plutarchum. Hæc enim partim fabulosa, partim ἀπερσιόνα sunt. Resp. ad 2. Vox refertur vel ad solam loquentis mentem, vel insuper ad conversationem.

An voces  
significant  
ex institu-  
to?